



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De Lvdvici & Carolomanni, tutorum Caroli Simplicis, sacra militia contra  
Nordmannos. Cap. XXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

dit, si ille se Augustali corona, quam patri suo tradiderat, exornaret. Cui cum se Pontifex gratificaturum summo studio respondisset, ipsum VII. Idus Septemb. maximo totius Galliarum concursu Imperatorem inunxit, solenni iuramento adactum, se Ecclesiam, dum viveret ab hostium & maximè infidelium iniuriis defensurum. Rebus itaque sic constitutis, multis vltro citroque beneficiis præstitis, abierunt.

Ioannes Romam reuersus, mox Imperatoris opem implorat contra Sarracenos, qui litora Romanorum, Fundis & Tarracinia occupatis, tenebant. Ad quod iter dum se pararet Imperator, adornata iam expeditione cum vix biennium imperasset, morbo periit, anno 1000. LXXX. Cui defuncto Adalheidis peperit Carolum cognomento Simplicem, & posthumum, Franciarum Regem.

*De LUDOVICI & CAROLOMANNI,  
tutorum Caroli Simplicis, sacra militia contra Nordmannos.*

C A P. XXII.

*Primi tuto-  
res XIII.  
Duci Bra-  
bantie.*

CUM Carolus primùm quidem nondum natus, deinde verò ætatis defectu tutoribus egeret; primi ei obtigerunt Ludouicus & Carolomannus, Ludouici Balbi ex concubina filij. De quibus Paullus Aemilius ita breuiter scribit: Ludouicus Carolomannusque, Balbi

Balbi ex pellice filij, regium nomen inuadunt, præclaraque initio facinora aduersus Nordmannos piratas edidere, & Bossonem à Pontifice Lugdunensium Regiis insignibus ornatum, ac Regem non prouinciæ modo sed & Burgundiæ declaratum, eiusque filium Ludouicum, Prouinciæ finibus continere se cogunt. Deinde redeuntes maioribus viribus Nordmannos cum armis arcerè non possent, ingentem vim auri illis dederunt, duodecim annorum inducias spondentibus. Nec res diu lætæ fuere. Carolomannus in equo ludibundus dum refugientem domum puellam insequitur, impetu equi intra humile ostium illatus, corporis compagem soluit: Ludouicus, aprum venabulo premens, intorto aliunde telo transfigitur.

*De sacris bellis CAROLI CRASSI, tutoris Caroli Simplicis, quæ gessit contra Sarracenos & Nordmannos.*

## CAP. XXIII.

CAROLVS Crassus, Ludouici Germanici filius, in Italia contra Sarracenos & Sclauos virtute religioneque præstitit. Italia defensa eum Augustum salutatum, Ioannes Pontifex, non inuitus, tandem coronauit (quod nescio an vlli alteri Pontifici contigerit) intra quatuor annos trium Imperatorum coronatione nobilis.

Pacata verò Italia ob Carolomanni obitum,

*Secundum titulum XIV. Ducis Brabantie: Æmilium post alios.*